

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IVRIDICA  
IVRE GRVTIAE

*Vulgò*  
**Gloß = Recht.**

*Quam*  
**Divinâ adspirante gratia**

*&*  
SVFFRAGANTE MAGNIFICO JCTORUM ORDINE  
**SVB PRÆSIDIO**  
*VIRI MAGNIFICI ATQVE EXCELLENTISSIMI*

**DN. JOH. BERNHARDI Friesen**

HÆREDITARII in Pösen/  
JCTI, SERENISS. DUC. SAXO-ISENACENSIS CONSILIARI<sup>I</sup>  
AULICI AC CONSISTORIALIS SPLENDIDISSIMI, NEC  
NON PROFESSORIS PVBLICI ET FACVLTATIS JURIDL  
CÆ ASSESSORIS LONGE MERITISSIMI,

*Domini Patroni & Preceptoris sui eviternum devenerandi*  
Ad diem Martii. 1701.

*Loco hōrisque consuetus*

Placido Eruditorum Examini sistet

**JOH. CHRISTOPH. Langbein/**

Græfenthal Thur.

A VT. & RESPOND.

Diss. jur. civ.

215,2

J E N Æ  
TYPIS JOH. ADOLPHI MULLERI.

*J. C. Holzha*

DYONISIUS ARISTIDES


ЧИСЛЯЩИХСЯ ПО ТЕМНО-НОІ

ALZOPOLI. 10. 1781



I. N. J.

## PRÆFATIO AD LECTOREM.



Nimum induxeram meum L. B.  
de pacto Unionis prolium con-  
scribere dissertationem , cum  
autem partim cujusd. MECOE-  
NATIS mandato, partim etiam  
re penitus inspecta reperi, hoc  
de Jure Grutiæ thema esse ma-  
joris ponderis , meliorique di-  
gnius elaboratione , maxime autem, quod Serenissimus  
ac Clementissimus Princeps meus hujus Juris exerce-  
tio gaudeat ; qua de causa misso proposito meo , hujus  
pro ingenii mei modulo enucleatione acquievi , nec ,  
quod plures de hoc tractatus adspicerint lucem , me à  
proposito absterrere potuit , cum ea , quæ jam dicta-  
sunt , quoque dicere amarem . Quæ autem in medium  
sum prolaturus , illa alteri præjudicare , sanctissime pro-  
testor . Tuum autem erit L. B. eo affectu , quo ausus  
haud improbandos illorum , qui in Themidos studio  
pro virili desudant , prosequeris , me quoque , quamvis  
immerentem complecti , animumque ad portum veri-  
tatis contendenti addere , quem , cum sine Numinis au-

A 2

xilio

xilio attingere non liceat, à Te, Deus Optime, opem  
imbecillitati meæ supplex expeto efflagitoque.

## THES. I.

**P**Ost mare in fluminibus perficitur navigatio. Et quidem pleræque gentes, antequam ause mare ingredi in illis navigarunt, & propterea illis magnam exhibuerunt reverentiam. Persæ in flumina nec immejunt nec inspuunt; Ægyptii Nilum, Phryges Mæandrum pro Diis coluerunt, Germani Rhenum genialis tori arbitrum constituerunt. *Hadr. Jun. in hist. Batav. cap. 8.*

## TH. II.

Varie autem flumen ab *Aym. tr. de alluv. l. 1. c. 15.* dividitur, quod non opus est, cum commode omnia ad consuetam divisionem possint referri, qua flumen di-  
<sup>† Glos. in l.</sup> stingitur in privatum & publicum. <sup>† Privatum, quod</sup>  
<sup>4. 5. 1. ff. de R. D.</sup> privati dominii est, nec semper fluit, sive manufac-  
tum sit, sive in privato oriatur. Publicum autem  
à *Cassio l. 2. §. 2. & 3.* recte describitur, quod per-  
enne est i. e. semper fluens. Cum autem flumina  
hodie in Principum dominio, patrimonio, libera pot-  
estate & omnimoda proprietate sint, & ad Regalia refe-  
rantur, etiam Jus navigandi, &, quod illius quædam  
species est, jus traducendi ligna super flumine (vulgo  
das Flößrecht) ad Regalia spectabit, de quo nunc plu-  
ribus agere instituimus.

## TH. III.

*Etymol.* **Vocabulum GRVTIÆ** autem procul dubio nata-  
les suos debet Batavis. Illi enim inde vocant Jus Gru-  
tiæ, quod in tractu Delphensi penes Comites Plumarios  
sem-

semper extitisse dicitur, quo coctores cerevisiarum pro  
usu aquæ centesimam solvunt, ita ex Hadr. Jun. in Bata-  
via c. 19. Stypmann. tr. de jure marit., & naut. part. I. c.  
10. n. 100. Casp. Klock. tr. de Ærario l. 2. c. 15. n. 2.

## TH. IV.

Dicitur etiam aliis Jus traducendi rates & ligna, *Synonym*,  
Franc. Stypm. d. tr. & c. n. 95. Jus ratium traducendarum.  
Ernest. Cobmann. vol. 4. Resp. I. n. 55. Jus ligna vehendi in  
flumine. D. Struv. Syntagm. Jur. Feud. c. 6. aph. 22. (Di-  
citur etiam Jus Gruis) Germanis, das Flöß- Recht /  
Flöß- Regal, Flöß- Gerechtigkeit: Hols- Flösse. Ver-  
bum autem Flöß indubie est à fliessen. Belgis est Blot-  
& Blot- Balcken quasi fluentes trabes. Hinc quidam vo-  
lunt, hujus rei vestigium aliquod esse in l. I. §. 14. de flumin.  
ubi mentio fit ratium.

## TH. V.

RATIS autem est nihil aliud, quam trabes con-  
nexæ & sine fabrica compactæ, quæ navigii vicem te-  
nent. Et id genus navium primum fuisse, verisimile  
est, quod & Spiegelio in Lexico suo videtur, laudanti  
Bayf. tr. de re nav. Festo rates vocantur lignæ inter se  
colligata, quæ per aquam ducuntur: Zimmer- Flösse.  
Hinc ratem ageret l. I. pr. ff. ut in flum. publ. navig. lic.

## TH. VI.

Per illustratis quasi intransitu his, quæ ad nomen  
- Juris Grutiæ facere videbantur, jam ad rem ipsam ac-  
cedemus, cum vero de re, nisi tradita definitione,  
perspicue haud constare possit, allaborandum erit, ut,  
quid Jus Grutiæ sit, sequenti definitione explanemus.

## TH. VII.

Definimus itaque illud, quod sit species quædam na- *Definitio-*

A 3

viga-

vigationis (consentientem invenimus Stypmann. cit. l. ubi minimam navigationis speciem appellat), qua in flumine publico (principue enim in eo exercetur, interim non excludimus flumina privata & rivos, cum illorum etiam in hac re sit usus) cujuscunque generis ligna, usus vel commercii gratia transvehere licet, jure Superioritatis vel alio titulo competens.

## TH. VII.

Eandem autem cum navigatione originem, cuius speciem esse diximus, hoc jus habere videtur, si nude illud consideramus, quatenus nempe in libertate naturali utendi fluminis ad traducenda ligna consistit. Sicuti enim navigandi modus antiquissimus, ut refert Stypmann. d. tr. part. i. c. 2. n. 1. & seq. Bayf. tr. de re nav. ita usus vehendi ligna per aquas non novus est. Exempla leguntur in Sacris lib. 3. Reg. c. 5. v. 8. Ubi: Rex Israëlitarum Salomon cum Rege Tyri Hiramo contractum iniit, ut hic per servos suos ligna cedrina & abiechina in Libano cæsa ad mare deponeret, ibique in ratiibus usque ad destinatum locum componeret, ubi applicari debebant. Et 2. Chron. 2. v. 16. idem repetitur. Si autem more hodierno, ut Jus Regale consideratur, tunc eosdem cum Regali Jure fluminis natales habet.

## TH. IX.

*Commoda  
huj. jur.* Utilitatem ex hoc Jure profluentem maximam esse nullus dubitabit; ex eo enim ingens ærarii Principis incrementum provenit, imo quibusdam in locis ex sylvis non nisi exiguae utilitates Principi redeunt, quod is caret Jure rationum traducendarum; vel, quod flumina illic sunt remota, istis enim in locis, da der Wald nicht verfloßset werden kan / non raro maximam ligni copiam putre-

A

putrēscere ac perire videmus, Cœterum ratione hujus  
juris exercitii probe obseruentur utilissima monita Casp.  
Klockii, in tr. de arar. l. 2. c. 15. n. 31. & seqq.

## TH. X.

Competit autem hoc Jus traducendi rates in flu-  
mine duobus modis (1) *ratione tituli* (2) *ratione modi*  
*exercendi*. Ratione tituli itidem duobus modis (1) *ju-  
re proprio* (2) *concesso*. Proprio jure competit Imper-  
atori, Regibus, Principibus ac Civitatibus superiori  
non recognoscētibus. vi summi, quo gaudent, impe-  
rii, ad eos enim fluminum publicorum navigabilem &  
non navigabilem tam proprietas quam Idictio pertinet.  
Præterea, iuxta mores Germaniæ, Principibus ac Stati-  
bus Imperii vi Superioritatis territorialis flumina publica  
omneque jus percipiendi ex iis commoda & utilitates  
competunt. Jure concesso competit hoc Jus Vasallis,  
subditis vel etiam extraneis. Besold. Conf. 239. non au-  
tem quatenus Regale, sed ut privilegium; vel, ut usum  
solum habeat, quod jure Superioritatis Principibus com-  
petit.

Modi con-  
cessioneis.

## TH. XI.

Ratione modi exercendi rursus est duplex, *vel plen-  
num & liberum vel minus plenum & restrictum*. Illud,  
quod libere exerceatur, hoc, quod vel ad certum genus  
ligni v. g. Eine Zimmet- oder Scheid-Glosse / ic. vel ad  
certum tempus v. g. nur einmal im Frühling / vel ad  
certum locum v. g. auf eine Meil Weges / zu diesem oder  
jenem Orte / restringitur.

## TH. XII.

Verum concessionis tituli non sunt unius, sed variis  
generis. Aut enim conceditur alicui hoc Jus (1) in-  
vesti-

vestitura feudali, aut venditur (2) certo pretio, quale concessionis exemplum habet *Besold. d. Consil.* aut (3) jure familiaritatis precario *Cotbmann. Vol. 4. Conf. 1. n. 55. & Consil. 2. n. 20.* Præjudicium vide apud *Carpz. part. 3. Decis. 288.* aut (4) locatur certa mercede *Gothm. d. Conf. n. 50.* aut (5) conceditur alicui per reciprocationem; & ultima hæc concessionis species hodie inter Principes est usitatissima. Sic etiam inter Electorem & Duces Saxonie ab antiquo mutua pacta, de hoc jure in flumine Salæ exercendo, inita sunt. Ex hisce allatis nunc constat, etiam privatos hujus juris non incapaces esse.

## TH. XIII.

**Quæritur:** an Vasallus cum flumine investitus absque consensu Domini Feudi alteri jus ligna in flumine vehendi in perpetuum concedere possit? Neg. cum Vasallus servitutem feudo imponere nequeat, speciem autem servitutis hæc concessio habet. Vasallo tamen, donec feudum tenet, concessio illa nocet: Domino autem adgnatisve succendentibus, etiamsi per longa tempora perseveraverit, minime nocet arg. 1. *Feud. 8. pr. Conf. D. Struv. Syntagm. J. F. c. 12. apb. 8.*

## TH. XIV.

**Quæritur etiam:** Si duo v.g. fratres vel socii flumen pro indiviso possideant, an alter sociorum vel fratribus vicino alicui exercitium hujus juris, invito & ignorantie socio concedere possit? Neg. (1) quod in re communali potior sit causa prohibentis l. 28 ff. *commun. divid.* (2) quod concessio hæc magnum præjudicium socio adferat, cum sua natura cum damno & periculo sit conjuncta. Porro quæritur: an ipse socius invito socio hoc jure uti poterit in flumine communali? & affirm. si justa pro-

prohibendi vel dissentiendo causa non adsit, & commodum inde nascens commune fiat, restitutis pro rata sumtibus.

## TH. XV.

Ne etiam inferior Superiori in Flumine suo jus traducendi rates & ligna permittens, in libertate sua vel jure territoriali præjudicium patiatur, literæ Reversales peti solent, quæ plerumque ita sonant:

Wir N. N. &c. bekennen hiermit / und thun fund gegen männlich / daß wir mit dem N. N. Handlung gepflogen / daß N. zu besondern unterthänigen Willen und Gefallen geschehen lassen wollen/ daß wir auff dem N. Strohm durch ihre Herrschafft und Bottmäßigkeit/ flößen möchten; Als haben sich N. gegen uns dahin erflähret / daß sie zufrieden/ daß durch Ihre Herrschafft und Bottmäßigkeit auf - - Jahr eine Flöze angestellt/ und iedes Jahr mehr nicht / denn N. Klaßtern geflossen werden möchten. Demselben nach so obligiren und verpflichten uns hiermit / und in Krafft dieses unsers Revers-Briefes / dergestalt und also / wodurch solch unser Flözen N. oder derselben Unterthanen / und Verwandten einiger Schade zugefüget würde / daß wir solchen N. und ihnen / auff vorgehende Taxirung vier ehrlicher Personen / darzu unsers Theils 2. und von N. auch zwei verordnet werden sollen / wiederum abtragen und erstatten sollen und wollen. Ebener Gestalt sollen N. sich dieser N. Jahr über / auff gleiche Anzahl / auff dem N. Strohm / so weit wir uns bestellen / anzumäffen / N. Klaßtern / ohn einiges Gleit / zu gebrauchen Macht haben. Doch daß solch Flözen iedesmahl also angestellt werde / daß kein Theil dem andern an seiner

B

Flöze

Zlöße Verhinderung zufüge / und da wir zum Einwerffen gefast / uns nicht vorgreissen / sondern in alle Wege der Vorzug gelassen werden solle. Da aber N. ehe denn wir zum Einwerffen gefast / solle N. auch nicht verweigert werden ; Und damit in dem Einwerffen des einen Theils Holz unter des andern auff dem Wasser nicht möge gemengt werden / soll das Theil / welches zum letzten eingeworfen / einen vorschlag machen lassen / bis so lange der Földerste so weit kommen / daß man sich des Gemenges nicht zubesorgen ; wie denn N. auff dem N. Strohm / so weit als wir zuflößen Macht haben / auch zuflößen soll vergönnet seyn ; Und da durch N. flößen uns und unsern Unterthanen Schaden zugefüget würde / so soll derselbe / wie obberühret / durch 4. Personen tapirt / und von N. erstattet werden. Wenn auch eines oder des andern Unterthanen befunden würden / daß sie etwas an dem gefloßten Holze veruntraueten / oder entwendeten / solche sollen nicht allein in gebührliche Straffe genommen werden / sondern auch das entwendete Holz zu bezahlen schuldig seyn. Trenlich und ohne Gefehrde. Zu Uhrkund mit Unsern Secret wissendlich besiegelt / und gegeben &c.

## Th. XVI.

An autem Dominus territorialis hoc jus alteri ad monopolium ligni exercendum concedere possit , hic non incommodè queritur ? & aff: si privilegiatus solus in istam rem sumptus impendere cogatur , & utilitas publica subditorumque inde non laedatur , quod sit , si justo pretio ligna vendantur Confer. Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 12. n. 16.

## Th. XVII.

Si alicui concedatur eine Scheit-Flöſſe / is non potest instituere eine Zimmer-Flöſſe / cum hoc jus homini quandam servitutis speciem imponat ; explorati autem juris est, concessum modum servitutis vel juris mutare non licere , maxime quando concessentis conditio gravior redditur. Gravius autem fluminis onus hanc , quam illam speciem esse , in apri- co est. Præterea concesſiones omnes stricti juris sunt.

Quæritur : an Princeps , cui flumina publica regiam jure competunt , lignorum transvectionem in iis interdicere , & prohibere possit ? & videtur dicendum , hoc Principi , præsertim superiorem recognoscens , minime licere & integrum esse , & quidem ex sequentibus rationibus (1) quia flumen publicorum usus , qui potissimum in plicatione & navigatione consistit , Jure Gentium omnibus patet §. Flumina 2. §. ri- parum 4. J. de R. D. l. nemo 4. in fin. cum l. seq. eod. (2) Hanc ob causam adversus eos , qui in fluminibus publicis hanc speciem navigationis vel penitus interdicunt vel pejorem efficiunt , non tantum injuriarum actio , sed & peculiaria interdicta jure prodita sunt l. 2. §. Si quis in mari 8. ne quid in loco publ. l. injuriarum 13. §. f. de injur. tot. tit. de flum. (3) Hoc cum primis quoque probare videtur text. in l. quo minus 2. de flum. ubi ne Imperatori quidem navigationem , & per consequens hanc speciem navigationis in publico flumine impedire licet. Ergo multo minus Principi inferiori permittendum est l. fin. §. aeo. vers. ne quod summis apicibus &c. C. de Decur. (4) Sed nec regalium Jure pot-

estas prohibendæ navigationis in fluminibus publicis principibus competere videtur. Licet enim flumina navigabilia, & illa, ex quibus sunt navigabilia ad Regalia pertineant, & proinde Principum, qui Regalia habent, esse dicantur. c. i. que sunt Regalia. tamen hoc vel proprietatis vel etiam protectionis, tuitionis seu defensionis, non autem usus respectu accipiendum est. Matthæus de afflict. in c. fin. in verb. Flumina Rosenthal. in synops. Feudali. c. 5. de Jure Regali concl. 24. 25. 26.

## TH. XIX.

Verum hisce rationibus non refragantibus non inique videntur facere Principes illi, qui, justis causis moti, impediunt, quo minus in fluminibus publicis, per suas regiones & ditiones decurrentibus, libera traducendi ligna potestas exerceatur; præsertim si in fluminibus istis nunquam ante libere permisum fuerit, & probatur sequentibus modis. (1) quia jure regalium, flumina publica in privatorum patrimonio esse prohibantur d. c. i. que sunt Regalia. Cæpoll. de S. R. P. c. 27. Atque ei, qui fluminis proprium Jus habet, uti possidetis interdictum competit, si jus suum in eo exercere prohibatur, quoniam ejusmodi flumen tum ad privatam non publicam causam pertinet. l. sane si maris 13. de injur. (2) nec obstat huic sententiæ, quod regulariter usus fluminum publicorum, qui potissimum in navigatione consistit, unicuique libere permitte debat, & quod hoc nomine de fluminibus, quatenus publica sunt, & in nullius adhuc dominium pervenerunt, accipiendum est, secus si regalium jure flumina ad principem spectent & pertineant d. l. sane si maris.

de

*de Injur.* quia ab horum fluminum ingressu navigare & per consequens traducere ligna volentes arceri & prohiberi possunt Bart. *in rubr. ut in flum. publ. nav. lic.* Sic & interdicta possessoria, non dantur adversus illos, qui privilegiis Cæsareis, vel jure regalium gaudent, & in quorum patrimonio flumina publica sunt, ut expre-  
se vult. Bart. *d. rubr. ut in flum. publ.*

## TH. XX.

Nec obstat, (3) quod ne Imperator quidem in flu-  
mine publico hanc navigationem impedire possit, &  
quod flumina publica vel protectionis, vel propri-  
tatis, vel, quod verius est, Jurisdictionis respectu.  
Borch. *in tr. que sint regalia. n. 30.* Petr. Frid. Mind. *c. 30.*  
*n. 6. demand. p. m. 254.* non autem usus ratione inter-  
regalia connumerentur: quia licet hæc sese ita habeant,  
tamen nihilominus Princeps cum regali dignitate inve-  
stitus, tanquam dominus flumen, eorum ingressu,  
quoad ditionum suarum finibus continentur, traducen-  
tes arcere potest.

## TH. XXI.

Modi adquirendi cum aliis adquirendi Regalia, *Modi ad-*  
modis sunt communes. Primus, (& quidem receptis-*quirendi.*  
simus secundum Schneidevv. *in Epit. I. F. part. 2. n. 94.*  
Zas. *de Feud. part. 5. n. 12.*) est *investitura feudalis*, per  
quam Principes & Status Imperii Superioritatem eius-  
que iura ab Imperatore & Imperio acquirunt, & ab  
iisdem aliis eodem vel alio jure adquirere solent. Se-  
cundus *Privilegia*, , quorum nomine hodie sapissi-  
me Regalia, vel potius illorum commoda & utilita-  
tes a Superiore privatis, etiam subditis concedi solent  
Besold. *d. Conf. 239.* eaque sunt vel *generalia* & gene-  
ralia

vali cuiusdam legi aut constitutioni inserta ut in l. i. §. 2. ff.  
in quibus appell. non licet. in Aur. Bull. Carol. IV. tit. 9.  
Recess. Imp. August. de Anno 1551. §. so haben wir & Re-  
cess. Spirens. de anno 1570. §. alsdehn auch &c. Aut spe-  
cialiter alicui concessa, veluti, quando Imperator for-  
te speciali privilegio aliquo loco alicui quædam Regalia  
tribuit. Tertius, Pactum & conventio v. g. emtio, condu-  
ctio, precarium. Quartus, Praescriptio, qua in de Dd.mi-  
re variant. Quidam nullam Regalium præscriptionem  
contra superiorem ob subjecti præscribere volentis in-  
capacitatem admittere volunt. Contra alii rectius sta-  
tuunt, Regalia tam majora, quam minora esse præseri-  
ptibilia. Sixtin. tr. de Regal. c. 5. n. 138. & seqq. Surdus  
Decis. 1. n. 10. Klock. vol. 1. Cons. 22. n. 96.

## TH. XXII.

Ceterum communior & in praxi receptionis præscri-  
ptionis terminus est tempus immemoriale. Myns. Cent.  
5. Obs. 29. Moller ad Const. Sax. part. I. c. 2. n. 8. Klock.  
vol. 1. Cons. 28. n. 253. (quamvis alii 10. vel 20. annorum  
præscriptionem sufficere putant, alii 30. vel 40. annos exi-  
gunt) eamque sententiam etiam fecuti D. Struv. in Synt.  
I. C. tit. de usucap. Richter. Decis. 21. n. 52. Rennem. de Ju-  
re rerum D. 44. tb. 12. Si autem contra inferiorem,  
cui v. g. jus fluminis vi privilegii competit, præscri-  
ptio tendit, 30, vel 40. ann. spatium sufficit, cum in  
eo naturam Regalis videatur amisisse. P. Gilken. de  
præscript. part. 3. c. 8. n. 8. Klock. d. Cons. 28. n. 254.

## TH. XXIII.

Hic queritur: an ad præscriptionem hanc im-  
memorialem requiratur justus titulus & bona fides?  
Affirmant alii, alii negant: Affirmant Bocer. de Re-  
gal.

gal. c. 4. n. 51. P. Gilcken. de præscript. part. 2. membr. 2.  
*e. i. n. 6.* & alii multi ibidem allegati. Negant autem  
 Valentin. Guil. Förster. in Colleg. disput. publ. ad Inst. de-  
 cad. 6. quæst. 4. Treutl. vol. 2. disp. 1. th. 6. lit. a. dicentes,  
 in immemorali præscriptione, neque tituli neque bo-  
 næ fideli defectum nocere de Jure Civili, de Jure enim  
 Canonico aliter constitutum esse nullum est dubium &  
 vigilanti &c. ult. X. de præscript.

## TH. XXIV.

Quorum sententiam ego præferre nil dubito: Le-  
 ges enim, quæ titulum aut bonam fidem ad præscri-  
 ptionem requirunt, omnes loquuntur vel de triennii,  
 vel de longi temporis decem aut viginti, vel de tri-  
 ginta aut quadraginta annorum præscriptione, ut patet  
 ex pr. I. b. t. & tot. tit. ff. eod. tit. C. de præscript. long.  
 temp. 10. l. 20. ann. & tit. C. de præscript. 30. l. 40. ann. nec  
 unica est, quæ de immemorialis temporis præscriptio-  
 ne idem disponat. Unde, cum dispositio deficere  
 circa id dicatur, circa quod legis verba deficiunt, l.  
 quod constitutum 21. ff. de testam. milit. l. ita autem. 5. in  
 pr. ff. de administr. tut. & l. 8. ff. de publ. in rem act. ju-  
 stum titulum ac bonam fidem hic requiri, nulla lege  
 jubente, asserendum non videtur.

## TH. XXV.

Neque ab alia etiam præscriptione argumentari  
 ad hanc licet, cum hujus vis tanta sit, & cum nulla  
 alia conferenda, ut tale argumentum, inter species  
 tam separatas, & tantis differentiarum rationibus  
 distinctas institutum, nec minima quidem probabilita-  
 tis specie colorari posset. Quam ingentem differen-  
 tiā ac præscriptionis immemorialis vim & autorita-  
 tem

tem verbis sat clari & certi sensus exprimit Paulus  
*in l. 2. in pr. ff. de aqua & aqua. pl. arc. Pompon.*  
*in. l. 3. §. 4. ff. de aqua. quotid. & assiva.* Atqui veterum  
 statem seu præscriptionem immemorialem Icti in  
*dd. II. semper pro lege, seu quod idem est, jure con-*  
*stituti loco haberi ajunt, quo ipso omnia ad hanc præ-*  
*scriptionem requisita, per tanti temporis lapsum præ-*  
*supponentes & concludentes, omnem probationem,*  
*contrarium directo expresse removent; quæ enim con-*  
*tra legis & juris constitutionem dabitur probatio?*

## TH. XXVI.

*Licet hoc Regale fluminis multa adferre soleat  
 commoda, maxime ubi fluviis ac rivis sylvæ sunt vi-*  
*cinae, usus tamen & exercitium hujus Juris sapissime*  
*etiam multifaria solet procreari incommoda v. g. mo-*  
*lendinis, ripis, punctionibus, vicinis pratis & agris,*  
*naturalis alveus interdum mutatur, & alia, quæ inde*  
*nasci possunt damna, idcirco difficillime alteri in flu-*  
*mine suo hoc iure uti permittitur.*

## TH. XXVII.

*Quæritur: an proprietariis prædiorum, circa quæ  
 allouant flumina, liceat ripas resicere, & instructio-*  
*nibus munire? Etenim ripa est, quæ flumen conti-*  
*net, naturalem rigorem cursus sui tenens, cum ergo*  
*flumina sint publica, videtur proprietariis prædiorum*  
*coniuctorum licere plantis arborum aliisve mo-*  
*dis munire adversus impetum & incrementum ligno-*  
*rum. Et respondet Cæpolla de S. R. P. n. 71. & ple-*  
*nius c. 37. & Franc. Marci decis. II. part. 2. aggeres &*  
*munitiones licere cuique facere ad vitandam fluminis*  
*inundationem; & quoque alias defensiones, dum modo*

nihil

nihil ædificatur intra alveum fluminis, nec per hoc impeditur cursus fluminis, qui accipitur in medio seu in magis profundo *l. i. ff. de rip. mun.*

## TH. XXIX.

Deinde quæritur: an aggeres vel aliam aliquam munitionem ad defensionem sui agri adhibere liceat, quamvis ea res cursum fluminis ad alios agros devastandos immutet? Et generaliter, modò ex injuriâ vel accolis nocendi studio id non fiat, licere certum est, cum hic tutela & facientis utilitas spectetur; quâ ratione plerosque *Ulpianus* ait, prorsus fluma avertisse, alveosque mutasse, ut prædiis suis consulerent. *l. un. § sed et si 7. ff. ne quid in flum. publ.* Verùm, an idem procedat, si per istam munitionem majus ab aqua damnum vicinis inferatur, quam is, qui avertit, passus fuisset, si eam sine obstaculo per suos agros transire permisisset? & anne vicini hoc casu inhibere possint, ne superior ad avertendum flumen aggeres ponat? si cautio idonea ab illis de omni damno sarcendo fiat, puto, inhibere posse: major enim civium, major quoque plurimorum jactura est: Si verò non caveatur, sui potius quam alterius ratio habenda. *d. §. sed et si. modò tamen privati damni aversio publicum prorsus damnum non adferat: privata enim publicis postponenda: cùm & alias privato rem planè propriam justissima auferendi reputetur causa favor publicus, per ea, quæ tradit Gail. 2. observ. 56. num. 2.*

## TH. XXIX.

Ad avertenda autem hæc damna interdum probationis gratiâ certa lignorum quantitas per flumen

C trans-

lumina

transducitur, ne sumtuosum frustra impensorum, qui quibusdam in locis haud exigui sunt, postea quem posse niteat, sicuti quandoque solet accidere. Non enim quodvis flumen commodam lignorum transvectionem recipit. Nec quovis anni tempore hæc lignorum transvectio instituitur, sed ordinariè tempore vernali interdum & autunnali, rarius in media aestate, nisi necessitate ita exigente. Hoc enim tempore flumina sunt minus perennia, proptereaq; impeditur transvectio, aut sit summis cum laboribus. Unde tempora probè observanda, quippe uno die interdum præterlapso, per totum annum occasio transvehendi ligna amitti posset.

## TH. XXX.

Cæterum ante transvectionis lignorum institutionem publica affiguntur mandata, (ut passim, ubi hoc jus dicitur, videre est) quibus subditæ, præprimis autem molitores admonentur, ut molendina sua contra lignorum impetum præmuntant, & ripas, ubi alveus est angustus, purgent, ut eò facilior sit lignorum transvectio. Subditæ autenit has operas suis sumtibus non praestant, quia purgatio flaminis & impedimentorum removit, non tam propriæ prædia ipsorum tuenda, quam promovendæ ligni transvectionis gratiâ his, idcirco, ut ratum Dominus sumtus ipse solvatur, non ius justum videtur, nisi consuetudine aliud introductum ad

## TH. XXXI.

Si Princeps in flumine territorii sui hoc jure utens subditis suis damnum inferat, extra omne damnum etiam ad ejus restitucionem teneretur. Vid. D. o. Seckendorff. Gürstal. Staat. p. 3. tit. von der Forstbahnhof

(19) 155

böhn und Weltmischung / ibi: Hingegen ist auch billich re-  
add. Churfürstl. Sächs. resolution etlicher Landes a Ge-  
brechen da anno 1609. tit: Kentheren Sachen/p. m. 59. ver-  
bi: Weil etliche vom Adel im Amt Arnshauch in spacie  
sich beschwert / daß ihnen durch die Ziegenrüder Flöze  
in der Sahla / bis gen Saalfeld die Fischerey verderbt  
seyn soll / wollen wir darauff / und wann der angegebene  
Schade genugsam bescheiniget / in tragender Wormund  
schafft bey unsfern jungen Bittern und Pfleg-Söhnen /  
auff ihr anderweit unterthänigstes Ansuchen/ gebührliche  
Anordnung thun lassen. : *Licet id genus hominum, quod  
ad voluntatem Principum omnia sic inflectit, ut coquus  
edulia ad Principum gulam & palatum parare solet, hoc  
fortean intrepidè negaret. Hi enim homines corruptissimo  
hoc in ævo subditos nihil curantes, Principes suos  
ex plenitudine potestatis vel potius Tyrannidis omnia  
posse, vel Principis omnia esse, publice dicere non eru-  
bescunt. Hinc non raro miserorum subditorum  
audiuntur querelæ de damno illato ejusq; tardâ restituti-  
one, sed raro vel prorsus nō exaudiuntur: Sæpe minimum  
quid in compensationem magni damni illis per Officia-  
les sanguisugas obtrudi constat, quæ corruptissimi hujus  
ævi pessima consuetudo. Et sanè Principem damna subdi-  
tis suis resarcire recusantem, graviter peccare, nec officio  
boni & Christiani Principis fungi dixerim.*

T H. XXXII.

Cum vero damna interdum minora interdum  
majora sint, solet, finito traductionis usu, per certas per-  
sonas utrumque ad hoc negotium electas, ocularis in-  
spectio damnorum fieri, quo facto per arbitrios v. ge.

C 2 quatuor

quatuor personas ab utrâque parte dantum ex bono & æquo æstimatur, & damnum passis sine mora restitutio fit, vel in pecunia vel in certa quantitate ligni, prout conventum est. Datur etiam alteri, per cuius territorium ligna transvehuntur, certum vectigal, nisi ex pacto illud remissum sit.

## TH. XXXIII.

**Quæritur;** an Dominus territorii hoc jure utens subditorum suorum prædia citra compensationem ad hunc usum occupare possit? hic cujusque loci consuetudo inspicienda: regulariter autem negatur per ea, que §. 31. diximus, & quod Princeps vel superior in exercitio Regalium subditos suos onerare non debeat.

## TH. XXXIV.

Operas ad usum hujus juris necessarias subditi regulariter præstare non debent, cum sint odiosæ, & junii communi adversantur Klock. volume. i. Conf. n. 739. Dominus igitur earum præstationem sibi deberi affirmans, præcise eas probare debet Klock. d. Conf. n. 738: nisi vel longissimi temporis præscriptione vel consuetudine aliud introductum sit. Extra tamen necessitatis casum, & illo tempore, quo agros colere, vel fruges colligere debent, non sunt imponendæ; relinquendum enim illis est quoque tempus, se fuosque alendi Klock. vol. i. Conf. 21. n. 126. Joh. Fr. Balthasar. de oper. subdit. cap. 6. q. Huc pertinet, quod cantum est in der Churfürstl. Sächs. Erledigung oder resolution ethlicher Lands-Gebrechen. de a.o. 1609. tit. Renthäfchen. §. nach diesem. p.m. 57. &c. An autem suo victu subditi has operas præstare teneantur, quæritur? Et ita regulariter obtinere dicitur, quibusdam.

dam tamen in locis ex consuetudine victus iis præbetur.  
ingil p[ro]positum s[unt] TH. XXXV.

Exercens autem hoc jus transvehendi ligna in flumine solet cum vicino pacisci, de idoneo ad exponenda ligna loco: nemo enim citra consensum Domini loci sine compensatione expositionem ligni in alieno tacere potest. Nec obstat, quod flumen & riparum usus sit publicus; hoc enim intelligitur de usa recepto & vicinis ferendo: proprietas autem riparum illorum est, quorum prædiis adhaerent §. riparum 4. in fin. J. de R. D. Leng[ua]zo. §. 3. ff. de A.R.D. Cum vero consuetudo juri pariat, contra consuetudinem antiquam fluminibus vicinos non oportet novis servitutibus offendere, præsertim cum secundum ripas flumen loca non omnia sint publica. l. 3. §. 2. de flumin. Mindant de mand. lib. 2. c. 36. n. 5. p. m. 253.

## TH. XXXVI.

Dominus territorii etiam in subditorum agris acq[ui] prædiis, & quidem ipsis invitatis, potest facere fossas & aquarum receptacula arg. l. si locūs 14. quem adm. serv. a- mitt. Gail. l. 2. Obs. 56. tenetur tamen ad repensationem damni. Cum enim Reip. causa civibus quædam adiunguntur, pretium refundi aut æquivalens retribui oportet. l. 14. §. 3. Commun. præd. Myler. de Stat. Imper. cap. 59.

## TH. XXXVII.

MA Ceterum ad operas hujus juris necessarias à subditis recte præstandas constituuntur certi ministri, qui dicuntur Floß-Bediente: ut sunt: Floß-Meister / Floß-

schreiber / Flößer / Flößhüter &c. quorum quilibet suos fungitur officio. Officium derer Flöß-Meister habetur in der Fürstl. Sächs. Gothaischen Wald-Ordnung / des anno 1644. c. 2. §. 11. Mandandum tamen illis est, ne damnificant subditos prædia ad ripam fluminis possidentes, ut quandoque accidere solet.

## TH. XXXIX.

Modi amittendi.

Amittitur autem hoc Regale iisdem ferè modis, quibus acquiritur arg. l. 1. ff. pro derelicto. Bocer. de Regal. c. 5. n. 1. Quod verum respectu Imperatoris aut alterius superioris, qui hoc Regale inferioribus confert, ut enim iste jura alienat & amittit, dum alii concedit, sic vix est, ut non videatur alienare, dum præscribi patitur, l. 28. pr. de V.S. Hoc tamen non de aliis Majestatis aut majoribus Regalibus exaudiendum, quæ non privativè sed cumulativè tum conceduntur, cum præscribi tensentur.

## TH. XXXIX.

Inferiores autem, qui non proprio jure, sed alieno beneficio hoc Jus exponendi ligna tenent, variis modis id amittunt: (1) per non usum arg. l. 1. ff. de nund. Gail. l. 2. Obs. 69. n. 24. & 25. puta, si quis per 30. vel plures annos jure suo usus non fuerit. Carpzov. part. 3. decis. 288. ubi in fine aliquod adducit præjudicium Scabinatus Lipsiensis his verbis: Hat der Rath zu Schneeberg einen Holzflöß-Graben &c. si vero occasio utendi non fuerit oblata, id non amittitur, etiam si quis per mille annos illo non fuerit usus. Sixtin. l. 1. c. 6. n. 33. Gail. l. 2. Obs. 60. n. 1. (2) per abusum. Coler. in proc. execut. part. 2. c. 3. Bocer. decis. 304. n. 7. (3) per Renunciatio.

35 (23) 52

ationem. Sixtin. d. c. 6. n. 29. Ex quibus & aliis causis,  
quas satis prolixè refert Sixtin. d. c. 6. Princeps hoc Re-  
gale concessum revocare potest. Anton. Peregr. de Ju-  
refissi. l. 3. tit. 3. n. 29.

TH. XL.

Delicta, quæ circa hanc rem versari solent, eorum- *Delicta-*  
que punitiones sunt varia, ut infrà dicemus: Inserviunt  
autem ad coercendam furandi libidinem mandata.  
publica, quæ iis in locis, per quæ transvectio ligno-  
rum instituitur, nunquam non adfigi solent, in-  
quibus homines sub comminatione poenæ admonen-  
tur, ut à fraudulenta rei ablatione abstineant, & ple-  
rumque poenæ acerbitas in illis exprimitur, ut fures de-  
terreantur.

TH. XLI.

Solent autem hæc mandata nomine Principis, vel  
qui hoc Jus exercet, prodire, quæ certis in locis tempe-  
stive publiceque adfigi curat. Fürstl. Sächs. Gothai-  
sche Lands-Ordnung / de anno 1653. tit. 6. von Flössen/ibi:  
Es sollen. Princeps autem in territorio Vasalli, non  
subditi, qui cum flumine omnibus Regalibus ac omni-  
moda Jurisdictione investitus est, suo nomine ejusmo-  
di mandata publicare non potest, nisi forte consuetu-  
dine vel pacto aliud obtineat. Secus est, si superiori-  
territorialis Principi in feudo competat.

TH. XLII.

Delecta verò committuntilli (1) qui quovis modo  
devectionem ligni in flumine sæpè cum gravi danno  
& periculo tam Domini, quam subditorum prædia  
propè flumina possidentium malitiose impedire audent.

(2) qui

(1) qui instrumenta ad hanc rem destinata v. g. Floß-  
rechen corruptunt. Et horum poena s̄epissime in man-  
datis publicis solet determinari, interdum etiam omit-  
titur: alias autem est arbitraria, carcer, relegatio, mul-  
cta cum restitutione rei ablatæ conjuncta, aut etiam gra-  
vior pro varietate delicti.

## TH. XLIII.

Nonnunquam etiam singulorum lignorum abla-  
tio uno floreno multatur; sed quæritur, an hæc poena  
sit justa, cum inter rem ablatam & poenam nulla vide-  
atur subesse proportio, omnis autem poena debet deli-  
cto esse æqualis. Verum hujus poenæ rigorem excu-  
fiant (1) frequentia delicti (2) violatio securitatis  
publicæ, quâ lignorum devectio in flumine gaudet (3)  
occasio furandi, quæ vitium contrectationis auget,  
poenamque exasperat. Neque obstat, quod inter rem  
minimi pretii ablatam & poenam proportio nulla sit.  
In aestimandis enim & statuendis poenis non solum  
damnum illatum est considerandum, sed & ipsa actus  
vitiositas, & Princeps habet potestatem puniendi de-  
licta subditorum, prout viderit efflagitare commune  
Reip. bonum, atque ut finis poenarum obtineatur, Struv.  
in Syntagm. Jur. Civ. lib. 47. tit. 2. tb. 23. p. m. 896. Non  
facile autem poena laquei in hoc furti genere locum ha-  
bet, nisi de rei ablatæ vera quantitate plene constat.  
Confer. Carpzov. ad part. 4. Conf. Sax. 34.

## TH. XLIV.

Ubi quæritur, sicuti alias questio moveri solet, an ju-  
stum sit fures punire suspendio, cum lex divina hanc poe-  
nam non constituerit? Sed vera responsio est, Constitu-  
tiones

tiones Mosaicas nostras Politis non obligare , quæ facinorosis recte possunt pœnas imponere , pro ratiōne illius regulæ , ut communis pax & tranquillitas conservetur , malum de terra auferatur , audacia reprimatur , ut cæteri timorem habeant , multis enim gravantibus , opus exemplo . Et ipse Deus in Politia Mosaica ostendit , pœnas furti pro circumstantiâ rei ablatæ vel mitigari vel exasperari , ut quidam quadruplum , quidam quintuplum reddant , quidam venundentur , quidam morte multentur Martin . Chemnit . 2. part . loc . Theol . in 7. præcept . circa fin . Dn . Carpzov . prax . Crim . p . 2 . q . 77 . Clud . de condic . furt . c . 15 . n . 17 . & seqq .

## TH. XLV.

*rogus* Porro quæritur : Si nullum mandatum prohibitorum antecesserit , an subditi ligna auferentes pœnam aliquam incurvant ? Affirm . mandati enim publicatio non tam necessaria quam utilis est , & absque singulari prohibitione quivis scire potest ac debet , quod in re aliena nihil juris habeat .

## TH. XLVI.

Necesse autem est , ut ad pœnam contra lignorum fures exequendam inquisitio domestica præcedat , quam Princeps in suo territorio per officiales suos exequitur , in alieno verò præviâ officii Magistratus imploratione in subsidium , cum sit actus Jurisdictionis . Et nemo , contra quem præsumtio furti militat , ab hac inquisitione immunis est , illafacta , designatio personarum & lignorum conficitur , & competenti Ma-

D

gistra-

gistratui ad executionem poenæ offertur. Poena autem regulariter pertinet ad eum, in cuius territorio spatum est commissum, quandoque tamen is sibi vendicat, qui damnum passus est: Interdum quædam pars multæ officialibus datur, ut ad diligentiam in inquitendo & puniendo majorem excitentur.

## TH. XLVII.

Custodes vel Inspectores lignorum, qui quandoque cum rusticis colludunt, & ab illis ligna clam subtrahi patiuntur, pro varietate circumstantiarum arbitratie puniuntur. Si enim ob spem lucri hoc faciunt, graviter plectendi sunt. Si vero sine lucro auferentibus conniveant, mitior poena illis infligitur, modo rei ablatae restitutio sequatur.

## TH. XLIX.

Si flumine nimis imbris crescente trabes vel ligna ad alium locum deferantur, an eorum restitutio peti possit, quæritur? & resp. si in subditorum agros rejecta fuerint, dubium non est, ea esse restituenda, & licet etiam in alienum agrum fuerint delata, tamen eorum proprietas non amittitur l.5. § 1. ff. de R. D. I. g. §. 1. de damn. infect. Opera autem & labor in lignis extrahendis & servandis adhibitus compensari debet, datumque illatum ex æquo & bono restitui.

## TH. XLIX.

*Actiones.* Remedias seu actiones, quæ ratione hujus juris competunt, sunt sequentes (1) contra impedientem hujus juris usum in flumine publico impetrari potest in

Camera

Camerā Imperiali Mandatum sine clausula. Ordin.  
 Cam. part. 2. t. 23. quod præjudicio corroborat Petr. Frid.  
 Mindah. l. 2. de mand. Judic. c. 36. num. 5. p. m. 253.  
 Cum enim anno 1582. in causa des Holz-Flössens civi-  
 tas Ulma contra Fuggeros mandatum in Camera pete-  
 ret, illud d. 5. Jul. decretum fuit super narratis: flu-  
 men Zeler non modò publicum esse, ut cuivis super  
 eo navigare, agere, lignaque &c. vehere ab omni me-  
 moria licuerit, sed etiam Ulmenses aliquot ante annos  
 judiciali sententia obtinuisse, semperque habuisse fa-  
 cultatem in eodem flumine non tantum navigandi  
 vehendique &c. sed etiam per agros atque fundum pa-  
 gi N, exonerandi, exponendi, ducendi ligna, trabes,  
 plantas, tigilla &c. Hacque ratione facultas utendi, si-  
 quidem impugnatur, probabilis facienda.

TH. L.

Jus transvehendi ligna in Flumine defenditur et-  
 iam detentio ligni vel præclusione transitus. Inter-  
 dum armata manu, interdum nudis protestationibus,  
 cum primis contra potentiores. Dantur etiam reme-  
 dia contra illum, qui in præjudicium fluminis aliquid  
 agit ex lit. de fluminibus, & ex tit. ut influm. publ. navig.  
 liceat. Alia remedia huic juri competentia videantur  
 apud cit. Dd.

## TH. LI.

Et sic habes hic L. B. quæ de Jure Grutiae in-  
 praesenti occurrabant; quamvis enim non negaverim,  
 posuisse his longe plura superaddi, pleniore tamen  
 calamo

calamo prosequi omnia , temporis ratio viriumque  
imbecillitas prohibuit , quapropter pro candore tuo  
benigna interpretatione suppleas , quæ hic desiderari  
poterant , & si nos hinc errasse deprehenderis , com-  
muni mortalitatis legi nos quoque subjectos esse per-  
pendas . Deo autem Optimo Maximo , qui hac usque  
sua adesse voluit clementiâ , totum me , tanquam  
gratæ mentis pignus , trado addicoque .

## T A N T U M .

